



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1682. usque ad annum 1690

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1781

VD18 90119231

§. 114. Alexandri VIII. Pontificis Maximi obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67608)

Sæc. XVII.
A. C. 1690.

§. CXIV.

*Alexandri VIII. Pontificis Maximi
obitus.*

Postquam Pontifex solemnem hunc declarationis actum, quem Romani gloriosam Pœnitentiam de nimio Gallorum favore vocabant, singulari animi præsentia peregerat; die prima Februarii gravius vim morbi ipso senio auctam sentiens, rursus omnes Cardinales convocari iussit, quibus ultimum valedicens, hac voce eos allocutus est: *deficiunt vires, Fratres Venerabiles, sed non deficit animus &c.* Postea veniam ab omnibus exorans, eosque ad dignioris Successoris electionem adhortatus, cunctis bene precatus est: postea omnibus Ecclesiæ Sacramentis munitus, eadem die magno suorum mœnore vitam finiit his verbis: *Et unam, Sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam*: Vixit annos octoginta duos: Pontificatum vero nonnisi unicum tenuit annum, tres Menses, & quindecim dies.